

Petrus de Vinea

Ep. V 9 (Rem perniciosam exemplo per...)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

Ep. V 9 (Rem perniciosam exemplo per...)

1220-1266

Cuidam iustituario, ut puniat uillicum, qui domini sui corrumpit pedissecam.

1. Rem perniciosam exemplo per ... nuper audiuius perpetrata. Videlicet quod, cum ... miles, fidelis noster, dominus eius, apud ipsum uniuersaliter rei familiaris depositum, et pudicitiam cuiusdam pedisecae suae, immo uxorem propriam etiam, nisi dicere pudeat fenoris, non ignorans, studiose sed temerarie commendasset, depositarius ipse, fide dupliciter uiolata, periurio furtum et furto periurium, quod ex ipsius rei depositae contraria contractione contraxerat, furiosae libidinis consortium aggregauit.
2. Hanc igitur inimicitiae familiaris pestem, sicut efficaciorum conspiciamus ad nocendum, sic sententiae durioris aculeis ipsum esse decreuimus ferendum, tuae fidelitati mandantes, quatenus, si est ita, confessione maleficii, quam consuevit in publicum conscientia lesa producere, uel talibus probationibus, quas licet huiusmodi maleficium, quod tamquam hominum aspectibus horridum et humanis uisibus uerecundum, uix aut numquam ex uisu probari posset, exposcit, uillicum ipsum prenominatum mutilari continuo uasis seminariis facias, ut eius acerbae sed iustae uindictae terrore rusticus, quin etiam quilibet familiaris, addiscant luxuriae suae frenum imponere, et non tantum in uxoribus dominorum, sed in focariis etiam cum pudicitia fidem et cum fide pudicitiam obseruare.